

Capsidae palaearcticae novae et minus cognitae

descriptae

ab

O. M. REUTER.

1. *Lopus bimaculatus* Jak.

Rev. mens. d'Ent. I, 122, 4 (verisim.).

Inferne cum antennis pedibusque nigricans, epipleuris pronoti, mesopleuris, lateribus ventris femoribusque posticis vel posterioribus basin versus rufo-ochraceis, antennis articulo primo dimidioque basali secundi pilis nigris admodum longis pilosis, tibiis nigro-pubescentibus, sat longe tenuiter spinulosis, pilis longis exsertis destitutis; superne rufo-ochraceus, pallido-vel in certa directione fusco-pilosus, capite nigro, margine verticis, marginibus orbitalibus vittaque media frontis, nec non parte apicali, clypeo excepto, lateribusque rufescenti-ochraceis; pronoto callis nigris, vittis duabus latis discoidalibus ab iis usque in marginem basalem ductis obscure fuscis, strictura apicali lateribus fuscescente; scutello basi lateribus, clavo interne, corio macula parva apicali extra venam cubitalem membranaque nigricantibus, clavo externe, vena excepta, limboque laterali corii pallidioribus, nonnihil albantibus; capite basi pronoti circiter $\frac{2}{5}$ angustiore, genis oculis paullulum altioribus (φ); antennis ad apicem oculorum interne insertis; pronoto margine basali medio sinuato, lateribus rotundato, disco inaequali; hemielytris feminae explicatis. Long. φ $7\frac{1}{3}$ mm.

Persia (Ordubat), D. Christoph; Asia minor (Erdschias!), D. Penther (Mus. Hung.).

L. infuscato Brullé var. *rufipenni* m. similis, colore pallidiore, magis in ochraceum vel aurantiacum vergente, clavo externe limboque exteriore corii fere albicantibus, nec non scutello angulis basalibus exceptis rubro divergens. Caput latitudine cum oculis fere aequa longum, vertice oculo $2\frac{1}{2}$ latiore (φ), fronte convexa, clypeo basi a fronte impressione nitida discreto, angulo faciali recto, gula brevi. Rostrum nigrum, apicem coxarum posticarum attingens. Antennae articulo primo capite circiter $\frac{2}{5}$ breviore, secundo primo vix $2\frac{1}{2}$ longiore et margini basali pronoti aequa longo, tertio secundo circiter $\frac{2}{5}$ breviore, quarto tertio $\frac{1}{3}$ breviore. Pronotum basi longitudine media fere duplo latius, disco versus callos sat fortiter convexo-declivi, lateribus antice acutis et crasse marginatis; strictura apicali articulo primo antennarum aequa crassa. Hemelytra utriusque sexus abdomen sat longe superantia. Pedes ut superne describuntur, tarsis inferne dens e griseo-pubescentibus, articulo primo secundo crassiore et longiore, tertio primo paullulum longiore.

2. *Calocoris hispanicus* (Gmel.).

Var. bisignata n.: Ut var. *coccinea* Duf., sed scutello fere toto nigro, corio macula parva apicali nigricante.

Creta.

Var. vittata n.: Ut var. *confluens* Reut., sed macula corii vittaeformi, usque ad medium suturae clavi prolongata ibique cum macula clavi saepe conjuncta, apice clavi margineque interiore corii sanguineis; colore signaturisque *Dioncocori cruentato* Brullé nonnihil similis.

Creta, D. Holtz (Mus. Vindob.).

3. *Calocoris sexguttatus* (F.).

Var. reducta n.: Superne flava, loris, clypeo, macula magna discoidali frontis, margine postico verticis, pronoto callis, macula posteriore utrinque pone callum marginem basalem attinente, margine angulorum posticorum, basi scutelli, margine

scutellari, commissura vittaue discoidali ante medium clavi, plaga elongato-triangulari pone medium corii apiceque cunei nigro-fuscis vel nigris; inferne sordide flavens, pectore lateribus maculis nigricantibus, ventre utrinque serie punctorum nigricantium. ♀.

Austria (Box!), D. Handlirsch (Mus. Vindob.).

4. *Actinonotus pulcher* (H. S.)

Var. γ bivittata n.: Capite, pronoto scutelloque sordide virentibus, fronte macula media, pronoto marginibus lateralibus, vittis duabus disci iis parallelis (intermediis obsoletis) margineque basali versus angulos, scutello basi nigris; cetero ut typus. ♀.

A d. Prof. Mayr lecta (Mus. Vind. ut *Capsus tunicatus*).

Var. δ reducta n.: Capite, pronoto scutelloque sordide flavo-virentibus, solum marginibus pronoti antice et postice basique scutelli nigris. ♀.

Ut praecedens.

Var. ε rubra (Reut.): Superne rubra, capite apice, lineolis tribus clypei gulaque (♀) vel clypeo toto maculaque magna frontis postice in verticem producta (♂), pronoto macula media mox pone stricturam apicalem saepeque etiam (♂) angulis anticis et posticis, scutello macula basali nigris, interdum (♂) scutello apice excepto nigricante; hemielytris totis rubris (♀) vel macula anguli interioris apicalis margineque lateralii corii nec non apice cunei nigricantibus (♂); membrana sat leviter fumata, venis rubris; pedibus sordide flavescenti-rubris, coxis nigris, femoribus seriatim nigropunctatis, tibiis apicem versus latius (♂) vel apice (♀) tarsisque nigris; pectore abdomineque nigricantibus, epipleuris pronoti, mesopleuris marginibusque acetabolorum posticorum sordide flaventibus, epipleuris pronoti maris superne rubris, ventre lateribus et apice, feminae etiam medio rubro. ♂♀.

Actinonotus ruber Reut., Wien. Ent. Zeit. VII (1897) p. 197.

Thueringia (Schneekopf, 3000' s. m.), D. Schmiedeknecht; etiam in Mus. Vind. ut *Capsus sexguttatus*.

5. Camponotidea Saundersi (Put.)

Forma macroptera: Fronte inter oculos oculo parum magis quam duplo latiore; pronoto paullo pone medium fortiter constricto, sulco transversali latera superante instructo, parte antica subhorizontali, apice ac basi fere aequa lata, lateribus leviter rotundata, strictura apicali solum lateribus nonnihil distinguenda, medio obsoleta; parte postica metonotum, scutello excepto, obtegente, versus basin sensim dilatata, basi capititis aequa lata, superne a basi versus sulcum sat fortiter declivi, transversim subtiliter strigosa; scutello basi detecto; hemielytris apicem segmenti tertii vel quinti dorsalis attingentibus, clavo, corio, embolio, cuneo membranaque discretis, cuneo margine exteriore corio circiter triplo breviore; membrana margine exteriore cuneo paullo breviore, areolis duabus instructo, minore angusta.

Var. typica: Nigra, hemielytris fusco-nigris, corio mox ante medium fascia angusta valde obliqua, oblique extrorsum et antrorsum vergente, marginem exteriorem haud attingente, cuneoque fascia angusta externe latiore et marginem attingente albis, membrana nigra, margine apicali segmenti primi ventralis extrorsum albido; pedibus fusco-ferrugineis. ♀.

Asia minor (Gjölbani!, mus. Vindob.).

Var. Putoni n.: Nigra, parte antica pronoti fusca, lateribus postice ferruginea; hemielytris fuscis, basin versus ferrugineis, fasciis ut in praecedente ornatis, colore autem sulphureo-albidis; pectore ferrugineo, metastethio fusco; abdomine nigro-fusco, margine apicali segmenti primi ventralis extrorsum albido; pedibus ferrugineis.

Camponotidea Saundersi Put. *forma macropt.* Put., Rev. d'Ent. XI, 1892, 28, 8!

Syria (Akbes!), communic. D. Dr Puton.

Hoc genus cuneo discreto membranaque biaerolata instructum a vicinitate generis *Myrmecoris* Gorski removendum, verisimiliter in divisione *Capsaria* locandum: arolia ungviculorum sat magna, apice divaricata.

6. Deraeocoris rutilus (H. S.)

Var. fasciata n.: hemielytris coccineis, clavo extremo apice nigro, corio macula majore ad angulum interiorem subtriangulari aliaque minore exteriore paullo supra apicem oblique posita subquadrata, his maculis confluentibus et fasciam antepicalem leviter obliquam dentatam formantibus, nec non $\frac{2}{5}$ apicalibus cunei nigris. ♀.

Cyprus (Larnaca!), D. E. Deschamps (Mus. Bruxell.).

Haec varietas transitum format inter varietates *typicam* et *bellicosam* Horv.

7. Deraeocoris scutellaris (F.).

Var. ventralis n.: Superne cum scutello nigra, inferne nigra, orificiis metastethii albis, ventre lateribus late rubris; pedibus rubris, coxis anticis nigro-maculatis, coxis posticis, basi femorum, apice tibiarum tarsisque nigris. ♀.

Croatia! (Mus. Vindob.).

8. Anapus flavidornis Jak. n. sp. in litt.

Niger, opacus, pilis albis faciliter divellendis vestitus; antennis articulo primo valde incrassato, obconico, sat dense spinoso, latitudine interoculari verticis fere $\frac{1}{4}$ (♀) breviore, secundo primo saltem duplo longiore et latitudine capitis cum oculis sublongiore, toto flavo-ferrugineo; apice extremo femorum anticorum tibiisque anticis basin versus flavo-ferrugineis, tibiis posterioribus, margine inferiore apiceque exceptis, flavo-ferrugineis, spinulis nigris e punctis nigris nascentibus; vertice plano, oculo quadruplo latiore, marginibus orbitalibus anguste testaceis; dorso abdominis utrinque vitta angusta intra-lateralis flavo-ferruginea; oculis sessilibus; pronoto postice distincte transversim rugoso; hemielytris formae brachypterae apice fere recte truncatis, margine apicali utriusque commissura paullo magis quam $\frac{1}{4}$ breviore; femoribus posticis valde

incrassatis, tibiis anterioribus fortiter compressis et apicem versus dilatatis. Long. ♀ $3\frac{2}{3}$ mm.

Borjom (Mus. Petrop.).

Desc.: *A. longicorni* Jak. simillimus, statura majore et paullo convexiore, antennis longioribus, praecipue articulo secundo (♀) latitudine tota capitis, oculis additis, fere longiore, pronoto postice fortius rugoso dorsoque abdominis utrinque vitta intralaterali flavo-ferruginea instructo divergens; ab *A. ruginicollis* Reut., cui etiam valde affinis magnitudineque subaequalis, antennis paullo brevioribus et gracilioribus, vertice nonnihil angustiore, pronoto minus transverso dorsoque abdominis utrinque flavo-vittato distinguendus. Caput f. brachypt. basi pronoti aequa latum, ab antico visum latitudine cum oculis aequa longum, vertice plano, punctis duobus discoidalibus impressis inter se latius quam ab oculis distantibus; fronte perpendiculari, convexa; clypeo ne minime quidem prominente, perpendiculari. Oculi a latere visi circiter quartam basalem partem altitudinis capitis occupantes. Antennae articulo primo apicem capitis attingente, setis spiniformibus crassitieci articuli aequa longis; articulo tertio secundo duplo breviore, obscure ferrugineo, basi et apice fusco. Pronotum f. brachypt. basi longitudine vix duplo latius, apice quam basi paullulum angustius, disco antice foveis duabus late distantibus notato. Scutellum f. brach. planum. Hemelytra f. brach. segmentum tertium dorsale attingentia, tota coriacea. Femora postica (♀) longitudine tarsorum posticorum fere nonnihil crassiora.

9. *Orthotylus antennalis* n. sp.

Ochraceus, opacus, superne flavo-pilosus, pilis hemielytrom retrosum vergentibus; oculis fuscis, minus fortiter prominentibus; vertice maris oculo saltem $\frac{2}{5}$ latiore, margine carinato; antennis (♂) ochraceis, articulo primo fuscescente, secundo longissimo duobus ultimis simul sumtis fere duplo longiore; membrana dilute fumata, venis ochraceis, areolis flavescentibus; tibiis spinulis concoloribus; segmento maris genitali sex praecedentibus breviore et illis haud latiore. Long. ♂ $4\frac{1}{2}$ mm.

Insula Teneriffa (Orotava!), D. Becker (Mus. Hung.).

Colore structuraque antennarum *O. tenello* Fall. nonnihil similis, corpore opaco, oculis minoribus, vertice latiore, articulo secundo antennarum adhuc longiore etc. distinctus. Caput basi pronoti paullo minus quam duplo angustius et apice pronoti paullo latius, a latere visum altitudine multo brevius, fronte sat convexa, clypeo deorsum vergente (in capite tamen perpendiculariter posito), basi in linea inter bases antennarum ducenda posita, gula haud distinguenda, genis maris humillimis. Oculi sublaeves, maris in genas longe extensi, orbita inferiore in vertice subparallelē. Rostrum apicem coxarum posticarum attingens, apice nigro. Antennae maris ad medium partis inferioris orbitae oculorum interioris insertae, articulo primo capite ab antico viso fere duplo breviore, secundo primo saltem sextuplo longiore et margine basali pronoti circiter $\frac{1}{3}$ longiore, tertio secundo circiter $\frac{1}{3}$, quarto tertio parum magis quam $\frac{1}{4}$ breviore. Pronotum trapeziforme, latitudine basali magis quam duplo brevius, lateribus rectis. Scutellum pronoto vix longius. Pedes colore corporis, spinulis tibiarum crassitie tibiae aequa longis, tarsis apice articuli ultimi cum ungiviculis fusco.

10. *Orthotylus pallidulus* n. sp.

Cum antennis et pedibus pallidissime flavens, opaculus, superne subtiliter pallido-pubescent, pilis nigris destitutus, oculis nigro-fuscis, articulo ultimo antennarum apicem versus fuscescente, extremo apice rostri articulique ultimi tarsorum cum ungiviculis nigro; tibiis tenuiter pallido-spinulosis; vertice (Ω) obtuse marginato; rostro apicem coxarum intermedianarum vix attingente; antennis articulo secundo duobus ultimis simul sumtis distinete paullo breviore, pronoto fortiter transverso; tarsis posticis articulo ultimo duobus primis simul sumtis longitudine aequali. Long. Ω $3\frac{1}{5}$ mm.

Austria (in nemore Prater dicto ad Vindobonam d. 24 maji 1899!), D. Horváth (Mus. Hungar.).

Colore *O. tenello* Fall. sat similis, sed statura multo minore, feminae oblongo-ovali, corpore opaculo, vertice obtusius marginato, antennis et pronoto longe aliter constructis, etc.

Caput (φ) basi pronoti vix $1/4$ angustius, ab antico visum latitudini verticis oculique unici aequo longum, a latere visum altitudini basali longitudine aequali, clypeo usque a basi fortiter prominente, verticali et parallelo, basi a fronte impressione discreta in linea media capitinis posita, genis sat angustis, gula haud distinguenda; vertice oculo duplo lato. Oculi subtiliter granulati, orbita interiore apicem versus late sinuati. Rostrum sat robustum, articulo primo nonnihil dilatato, caput paullo superante. Antennae (φ) ad apicem oculorum interne insertae, articulo primo capite ab antico viso magis quam duplo breviore, apicem clypei paullo superante, secundo primo circiter quadruplo longiore et margine basali pronoti aequo longo, tertio secundo paullo minus quam $1/3$ breviore, quarto tertio fere duplo breviore, Pronotum (φ) fortiter transversum, capite a supero viso brevius, basi longitudine magis quam duplo lato, lateribus rectis, apice longitudine circiter $2/3$ lato, disco horizontali, callis valde transversis, bene discretis, medio confluentibus, postice linea impressa medio obtuse sinuata determinatis. Hemelytra abdomen sat longe superantia, membrana hyalina, venis pallidissime flaventibus. Xyphus prosterni lateribus acute marginatus. Mesosternum apice obtuse rotundatum. Coxae anticae medium mesosterni paullulum superantes. Femora postica parum incrassata, subelongata. Tibiae spinulis tenuibus crassitie tibiae brevioribus, posticae tarsi vix triplo longiores. Unguiculi leviter curvati, aroliis subparallelis. Terebra feminae medium ventris vix attingens.

11. Alloeonycha n. gen.

Corpus oblongo-ovatum, opaculum, hemelytris nitidulis; capite basi pronoti duplo angustiore, sat fortiter nutante, ab antico viso infra oculos sat longe producto, latitudine cum oculis tamen distinete breviore, a latere viso altitudinem basalem latitudine clypei superante, clypeo basi cum fronte confluente, prominente, a latere viso apicem versus lato, sensim declivi, ipsa basi in linea intermedia oculorum sat longe supra lineam inter bases antennarum ducendam posita, angulo faciali acuto, gula sat brevi, leviter obliqua; oculis in lateribus

capitis leviter oblique positis, maris totam capitum altitudinem occupantibus, granulatis, orbita interiore versus apicem paulo divergentibus et ante apicem leviter sinuatis; rostro apicem coxarum posticarum attingente, articulo primo medium xyphi prosterni subattingente; antennis fere ad quartam apicalem partem oculorum interne insertis, articulo primo apicem clypei paulo superante, secundo latitudine capitum multo longiore; pronoto trapeziformi, sat leviter transverso, apice late sinuato, lateribus rectis, immarginatis, callis parum distinctis; scutello basi detecto; areola alarum hamo a vena sustensa emisso, a vena decurrente paulo remoto; xypho prosterni triangulari, disco subplano, lateribus sat alte marginatis; mesosterno apicem versus parum altiore, apice medio truncato, disco canalicula longitudinali instructo; coxis anticis medium mesosterni vix attingentibus; tarsis posticis articulo tertio secundo aequo longo, ungviculis mediocribus, sensim leviter curvatis, aroliis usque a basi liberis, elongatis, ungviculis paulo brevioribus, inter se valde divergentibus et ungviculis appropinquatis, interdum ut videtur cum iis conjunctis sed semper apicem versus ab iis divaricatis.

Generi *Acrotelus* Reut. affinis videtur, ab eo autem capite a latere viso altitudine longiore, clypeo basi a fronte haud discreto, a latere viso nutante, apicem versus latiore, angulo faciali acuto, pronoto levius transverso, aroliis ungviculorum usque a basi liberis divergens.

Alloëonycha Mayri n. sp.

Virescenti-flavens, hemielytris pilis faciliter divellentibus nigris pubescentibus; membrana subhyalina, venis hyalino-albidis, areola majore apice et externe, minore tota limboque exteriore late fumatis, hoc macula triangulari inter cuneum et areolam minorem aliaque majore obliqua ab apicibus areolarum versus medium limbi vergente hyalinis, puncto nigro infra apicem venae cubitalis; tibiis nigro-spinulosis, tarsis nigrofuscis. Long. ♂ $5\frac{3}{4}$, ♀ $5\frac{1}{2}$ mm.

Germania (Wiesbaden!), D. Prof. Mayr (Mus. Vindob. ut *Capsus seladonicus*).

Caput ab antico visum pronoto saltem $\frac{1}{4}$ (σ^{σ}) vel $\frac{1}{6}$ (φ) brevius, vertice oculo fere $\frac{2}{3}$ (σ^{σ}) vel fere duplo (φ) latiore. Antennae articulo secundo margini basali pronoti aequo longo, tertio secundo parum magis quam $\frac{1}{6}$ breviore, quarto tertio paullo minus quam $\frac{2}{3}$ breviore. Pronotum latitudine basali paullo magis quam $\frac{2}{5}$ brevius. Pedes nigro-pubescentes. Tepatra feminae medium ventris paullo superans.

12. *Oncotylus fuscicornis* n. sp.

Pallide virescens, superne pilis nigris faciliter divellendis, hemielytrorum retrorsum divergentibus et e punctis minutissimis fuscescentibus nascentibus; antennis maris fuscis, articulo primo sordide virescente, nigro-pubescente, reliquis subtiliter pilosulis, secundo linearie crassiusculo, margine basali pronoti circiter $\frac{1}{3}$ longiore, tertio secundo paullo minus quam duplo breviore; pedibus grisecentibus, nigro-pubescentibus, femoribus innotatis, tibiis punctis destitutis, subtiliter nigro-spinulosis, tarsis fuscis; hemielytris dilute cinerascentibus, pellucidis, innotatis, membrana hyalina, margine interiore limboque apicali leviter fumatis, vena brachiali fusca, connectente et cubitali pallide flaventibus, stria fusca juxta apicem venae brachialis, macula hyalina inter cuneum et areolam minorem postice stria nigro-fusca terminata et pone hanc macula majore rotundata limbi exterioris ubique fusco-cincta, hoc limbo basim versus obscurius nigricante; capite maris fortiter transverso, oculis magnis, vertice oculo paullo latiore. Long. $\sigma^{\sigma} 4\frac{3}{5}$ mm.

Mongolia borealis (Mons Khingan, Louk-Soume), D. Potanin (coll. Semenov).

O. caspico Reut. affinis, differt statura majore, capite fortius transverso, rostro breviore, pronoto magis transverso, lateribus rectis, hemielytris unicoloribus, membrana aliter signata. Caput maris cum oculis basi pronoti paullo magis quam $\frac{1}{4}$ angustius, fortiter nutans, ab antico visum latitudine frontis oculique unici fere paullo brevius, a latere visum altitudini basali aequo longum, clypeo valde nutante, prominente sed a latere viso sat angusto, basi fere in linea intermedia oculorum posita, angulo faciali acutiusculo, gula brevi, subhorizontali.

Oculi maris magni, valde convexi, granulati, fere usque ad gulum extensi. Rostrum apicem mesosterni vix superans, nigropiceum, basi articuli secundi articuloque primo virescentibus, hoc caput paullulum superante. Antennae paullo infra secundam trientem oculorum interne insertae, articulo primo apicem clypei superante, annulo angustissimo subbasali margineque apicali tenuissime fuscescentibus. Pronotum basi longitudini paullo magis quam duplo latius, apice longitudine fere aequo lato, callis discretis. Hemielytra maris abdomen longe superantia. Alae hamo areolae a vena sustensa emiso. Tarsi postici articulis duobus ultimis aequo longis, ungiviculis aroliis illis parum brevioribus, apicem versus distantibus.

13. *Malthacosoma adspersum* n. sp.

Albidum, opacum, capite, pronoto scutelloque sat dense, hemielytris parcus albopubescentibus, pilis facile divellendis; hemielytris ubique punctis sat magnis fusco-virescentibus irregulariter minus dense adspersis, his punctis hic illic magis aggregatis areas innotatas saepe circulares inter se formantibus, membrana cum areolis albido-hyalina, venis pallide sulphureis, limbo exteriore ab apice areolarum levissime infuscato, macula hyalina inter aream minorem et apicem cunei; abdomine virescente; femoribus tota longitudine punctis sat magnis virescenti-fuscis sat parce adspersis, anticis fere innotatis; tibiis spinulis brevibus nigris, usque ad medium tibiarum posteriorum e punctis nigris nascentibus. Long. ♀ $3\frac{1}{2}$ mm.

Transcaspia (Ashabad!), D. Ahnger (Mus. Helsingf.).

A *M. punctipenni* Reut. hemielytris irregulariter nec aequaliter minus dense punctatis, punctis multo majoribus, etiam punctis femorum majoribus. Caput nutans, basi pronoti circiter $\frac{1}{4}$ angustius, ab antico visum latitudine capitis cum oculis parum brevius (♀), a latere visum altitudine paullulum longius, clypeo prominente, lato, gula horizontali, vertice (♀) oculo circiter duplo latiore. Oculi (♀) in capite oblique positi, in genas sat longe extensi. Rostrum basin terebrae feminae attingens, apice nigro. Antennae ad apicem antennarum interne insertae, articulo primo apicem clypei aubattingente, secundo margine

basali pronoti circiter $\frac{1}{4}$ breviore. Pronotum latitudine basali duplo vel fere paullo magis quam duplo brevius, apice longitudine distincte latiore, lateribus rectis, disco interdum linea media longitudinali pallidiore. Tibiae spinulis crassitiei tibiae aequis longis, tarsis ipso apice articuli ultimi nigro, articulis duobus apicalibus tarsorum posticorum longitudine subaequalibus.

14. *Psallus proteus* Put.

Rev. d'Ent. VII (1889), p. 302.

Colore variabilis, superne nitidus, scutello hemielytrisque pronoto saturatius et obscurius coloratis, membrana aequaliter magis minusve fumata, venis flaventibus vel rufescentibus, macula parva hyalina inter apicem cunei et apicem areolae minoris, cuneo saepe margine interiore usque in apicem rubro; antennis pedibusque pallide flaventibus; illis articulo secundo margini basali pronoti longitudine subaequali (\female) vel hoc paullo longiore (\male); femoribus anticis solum puncto marginis antici ante apicem posito nigro, intermediis adhuc serie punctorum marginis posterioris, posticis puncto marginis antici antepicali inferneque punctis paucis sed sat magnis nigro-fuscis notatis, tibiis spinulis longis et validis nigris e punctis sat magnis germinatim positis nigro-fuscis nascentibus; segmento maris genitali inferne carina sat acuta longitudinali instructo. Long. ♂ $3\frac{1}{2}$, ♀ $3\frac{2}{3}$ mm.

Var. α, infuscata n.: Capite, callis pronoti, scutello hemielytrisque fusco-fuliginosis vel nigricanti-fuscis, margine postico verticis, pronoto, callis exceptis, scutello utrinque macula basali rufo-testacea, corio basin versus pallido, margine apicali corii anguste cuneoque, angulo interiore excepto, lividis; pectore rufo-testaceo, mesosterno nigro-fusco; ventre nigro-piceo, utrinque striis transversalibus rufo-testaceis. ♂.

Var. β, rubro-picta m.: Capite pronotoque flaventibus, scutello hemielytrisque fuscescenti-nigris, basi clavi, nec non basi apiceque corii anguste rubris, cuneo pallidissimo, apice nigricante. (Sec. Puton, mihi ignota.)

Var. γ, reducta m.: Superne pallidissime livida, testacea, solum scutello medioque corii fuscescentibus, cuneo pallidissimo, subalbido, solum extremo apice nonnihil obscuriore. (Sec. Puton, mihi ignota.)

Var. δ, rubicunda m.: Corpore inferne toto, capite pronotoque pallide lividis, scutello hemielytrisque pulchre roseis, illo linea obsoleta media longitudinali apiceque pallidissime lividis, his limbo exteriore corii cuneoque pallide lividis, margine inferiore cunei usque in apicem rubro. ♀.

Insula Madera, D. Noualhier (coll. Puton).

Ps. varianti (Mey. et H. Sch.) affinis et ut ille variabilis, sed minor et multo brevior, magis nitidus, oculis maris minoribus, utriusque sexus sublaevibus, vertice maris latiore cuneoque saltem interne usque in apicem colorato distinguendus. *Ps. molli* M. et R. statura magnitudineque similis, differt autem oculis multo subtilius granulatis, sublaevibus, femoribusque parcus punctatis. Caput basi pronoti $\frac{2}{5}$ (♂) vel fere duplo (♀) angustius, vertice oculo fere duplo (♂♀) latiore, gula brevissima. Antennae articulis duobus ultimis fuscescentibus, articulo tertio secundo circiter duplo breviore (♂). Pronotum basi longitudine duplo latius. Hemelytra abdomen sat longe (♂) vel brevius (♀) superantia. Pedes ut superne describitur colorati; tarsis posticis articulo tertio secundo longitudine aequali, aroliis medium ungivicularum attingentibus.

15. *Psallus instabilis* n. sp.

Oblongus, olivaceo-nitidus (pilae detritae), colore varians nigricans vel cinerascens et saepe sangvineo-tinctus; antennis utriusque sexus totis nigris, articulo secundo margine basali pronoti parum longiore (♂) vel circiter $\frac{1}{5}$ breviore (♀), duabus ultimis simul sumtis secundo distincte brevioribus (♂); pedibus albidis, femoribus anticis versus apicem punctis praecipue marginalibus, intermediis densius nigro-punctatis, posticis superne punctis tribus magnis marginis anterioris duobusque posterioris nec non punctis 2—3 discoidalibus oblique positis, inferne punctis magnis nigris ad partem confluentibus notatis,

maris versus basin nigris, tibiis spinulis sat brevibus nigris e punctis geminatim positis et saepe confluentibus latitudinem tibiae totam occupantibus; cuneo basi haud vel obsoletissime dilutiore. Long. ♂♀ $3\frac{2}{5}$ — $3\frac{1}{2}$ mm.

Var. a, typica m.: Totus nigricans vel fuscescenti-niger. ♂.

Var. β, sangvineotincta m.: Olivaceo-cinerascens, capite nigricante, pronoto hemielytrisque maculis sangvineis sat dense irroratis, cuneo apice sat late nigro-piceo; scutello sangvineo; pectore ventreque glaucescentibus, dense sangvineo-conspurcatis. ♀.

Var. γ, subochracea m.: Sordide olivaceo-testacea vel subochracea, capite fusco, cuneo apicem versus fuscescente; pectore et ventre canescentibus, lateribus maculis ochraceis variegatis. ♀.

Insula Teneriffa (Orotava!: α et β, Laguna!: γ), D. Becker (Mus. Hungar.).

A speciebus reliquis antennis totis nigris instructis colore pedum distinctissimus. Caput basi pronoti circiter $\frac{2}{5}$ — paullo minus quam duplo angustius, ab antico visum latitudini frontis oculique unici aequa vel fere aequa longum, valde nutans, clypeo compresso, basi sat longe supra lineam inter bases antennarum ducendam posita, genis humilibus, gula distinguenda; margine verticis interdum tenuissime pallidiore. Oculi fusi. Rostrum picescens vel testaceum, coxas posticas attingens. Antennae maris quam feminae crassiores, hujus articulo secundo a basi gracili versus apicem sensim leviter incrassato. Pronotum basi longitudine duplo (♀) vel magis quam duplo (♂) latius. Hemelytra membrana cum areolis nigra vel nigricans, venis concoloribus vel vena cubitali et connectente pallidis vel sangvineis. Metasternum marginibus orificiorum concoloribus. Segmentum maris genitale inferne carina tenui longitudinali.

16. *Psallus Beckeri* n. sp.

Rufo-ferrugineus, superne pilis sat longis subargenteis faciliter divellendis pubescens, pronoto lateribus discoque postice nec non hemielytris ubique atomis fusco-ferrugineis dense conspersis, basi cunei pallidiore, attamen atomis instructa; mem-

brana cum areolis obscure griseo-fumata, ubique dense hyalino-irrorata, venis albidis, macula inter apicem cunei et areolam minorem aliaque ante medium marginis exterioris hyalinis; antennis flavo-testaceis, articulo primo annulo tenuissimo subbasali fuscescente, ante apicem interne atomis duobus nigris pilam nigram ferentibus; pedibus albidis, femoribus apicem versus punctis nigris adpersis, posticis inferne sat dense nigropunctatis, tibiis spinulis nigris e punctis sat magnis fusco-nigris nascentibus, tarsis extremo apice articuli tertii cum ungviculis fusco; capite ab antico viso latitudine cum oculis parum breviore, vertice oculo vix magis quam $\frac{1}{3}$ latiore; oculis sub-laevibus; rostro medium ventris attingente. Long. ♂ 4 mm.

Insula Teneriffa (Laguna!), D. Becker (Mus. Hung.).

Ps. atomoso Reut. sat similis, sed major, vertice maris angustiore, rostro longiore, colore structuraque antennarum, tibiis nigrospinulosis, etc. divergens. Caput basi pronoti fere duplo angustius, ab antico visum latitudine cum oculis parum brevius, infra oculos sat productum, a latere visum fortiter nutans, altitudine basali distinete brevius, fronte valde declivi, clypeo compresso, sat prominente, basi supra lineam inter bases antennarum ducendam posita, genis (♂) humillimis, gula perbrevi; flavo-testaceum, vertice ferrugineo. Oculi fusi, sublaeves, maris in genas longissime extensi. Rostrum albido-flavens, apicem versus testaceum. Antennae maris pallide flavo-testaceae, in sinu oculorum fere ad quartam apicalem partem orbitae interioris insertae, articulo secundo toto linearis, crassiusculo, primo parum graciliore, margine basali distinete paullo longiore, duobus ultimis simul sumtis secundo paullulum brevioribus. Pronotum latitudine basali duplo brevius. Scutellum apicem versus pallide flavens. Hemielytra abdomen longe superantia. Tarsi postici articulo tertio secundo breviore, ungviculis sat leviter curvatis, aroliis angustis usque ad medium ungviculorum extensis.

17. *Psallus longiceps* n. sp.

Albido-flavens, vertice vittulis duabus vittulaque utrinque ad orbitam interiore oculi, fronte utrinque lineolis transver-

salibus, clypeo puncto medio basali lineolisque duabus, lineola scrobes antennarum interne terminante, pronoto striolis duabus apicalibus maculaque obsoletiore media marginem basalem attingente, scutello vittis duabus basalibus ante medium abbreviatis atomisque nonnullis disci aurantiaco-rubris; pronoto lateribus parteque postica nec non hemielytris punctis rufo- ferrugineis vel aurantiaco-rubris inaequaliter adspersis, cuneo basi albido, innotato; extremo apice scutelli nigro; membrana albida, venis albidis, areola majore apice, minore tota limbisque exteriore et apicali nec non nebulis nonnullis discoidalibus fuscis; antennis longis pallide flaventibus, articulo primo apice aurantiaco, ante apicem interne atomis duobus fuscis pilam nigrum ferentibus; pedibus colore corporis, femoribus apicem versus punctis nigris sat parce adspersis, tibiis spinulis sat robustis nigris e punctis sat magnis fusco-nigris nascentibus; tarsis extremo apice articuli tertii cum unguiculis fuscis; capite latitudine cum oculis fere nonnihil longiore, infra oculos sat longe rostrato-producto, vertice (♀) oculo circiter duplo latiore; oculis sublaevibus; rostro coxas posticas sat longe superante. Long. ♀ fere 4 mm.

Insula Teneriffa (Laguna!), D. Becker (Mus. Hung.).

Caput basi pronoti duplo angustius, a latere visum altitudine basali brevius, fronte fortiter declivi, clypeo compresso, sat prominente, basi ejus paullo supra lineam inter bases antennarum ducendam posita, genis mediocribus, gula sat longa, obliqua. Oculi (♀) in genas modice extensi. Rostrum pallide flavens, articulo primo coxas anticas attingente. Antennae (♀) ad apicem oculorum interne insertae, articulo secundo margine basali pronoti distincte longiore, duobus ultimis simul sumtis secundo paullo brevioribus. Pronotum latitudine basali duplo brevius. Scutellum pronoto aequa longum. Hemielytra abdomen modice superantia. Pectus et venter albido-flaventia, illud maculis utrinque 2—3 lateralibus, hic lateribus maculis subseriatis aurantiaco-rubris. Terebra feminae medium ventris superans.

18. *Atractotomus brevicornis* Reut.

Öfvers. Finska Vet.-Soc. Förh. XLII (1899), p. 140, 9.

Mas hactenus ignotus: Vertice oculo sat magno vix magis quam $\frac{1}{3}$ latio; antennis articulo secundo latitudine tota capitis haud longiore, sublineariter incrassato, basi primo aequo crasso, dein nonnihil crassiore, apice parum graciliore, duobus ultimis simul sumtis secundo vix longioribus, utroque secundo fere duplo breviore. Long. $2\frac{1}{5}$ mm.

Plurae specimina ($\sigma \varphi$) verisimiliter in *Pino haleppensi* ad Ragusam Dalmatiae in initio julii legit Clariss. Handlirsch (Mus. Vindob. et Helsingf.).

19. *Plagiognathus cinerascens* n. sp.

Pallide cinereus, superne pilis nigris facile divellendis adpressis vestitus, nitidulus, vertice punctis obsoletis fuscis in arcum positis, fronte macula media rotundata picea, medio linea pallida divisa, clypeo lorisque nigro-piceis; antennis (φ) articulo primo basi annuloque angusto anteapicali, secundo margini basali pronoti aequo longo, basi anguste nigro; corio vitta venam cubitalem interne terminante nigra; membrana sat obscure fumata, venis cinerascenti-albidis, extremo apice areola majoris, areola minore punctoque infra apicem venae cubitalis nigris, vitta ab hoc ad marginem exteriorem ducta nigricante maculam hyalinam inter apicem cunei et areolam minorem positam terminante, pone hanc striam macula alia magna medium limbi exterioris superante hyalina; mesterno segmentisque ventralibus nigris, marginibus harum segmentisque feminae genitalibus virescenti-cinereis; femoribus inferne seriatim nigro-punctatis, tibiis sat longe nigro-spinulosis, punctis nigris instructis, anterioribus circiter dimidio apicali inpunctatis, basi nigra, tarsis nigris. Long. $\varphi 3\frac{2}{3}$ mm.

Mongolia boreali (Mons Khingan: Louk-Sume!), D. Potanin (coll. Semenov).

Forsitan varietas insignis *Pl. fulvipennis* Kirschb. vel *obscuricipitis* Stål, ab ambabus colore cinereo, capite aliter

picto, ab illo adhuc corio nigro-vittato, ab hoc areola majore membranae solum extremo apice nigricante divergens; a *Pl. lagiato* Reut., cui colore similis, statura minore, colore antenarum, areola majore membranae solum extremo apice nigricante tibiisque pallidioribus, distinctius nigro-punctatis longiusque spinulosis. Caput (♀) basi pronoti circiter $\frac{3}{7}$, angustius, ab antico visum latitudine frontis oculique unici paullo brevius, vertice oculo saltem duplo latiore. Rostrum coxas posticas paullulum superans. Antennae articulo secundo duobus ultimis simul sumtis paullo breviore. Pronotum basi longitudine duplo latius, callis saepe postice fusco-marginatis, angulis posticis saepe fuscescentibus. Hemielytra feminae abdomen breviter superantia. Femora marginibus concoloribus.

20. *Campylognathus fulvus* n. sp.

Superne, capite excepto, fulvus, inferne cum capite niger, margine verticis fulvo, antice impressionibus duabus transversis sat distinctis determinato; membrana cum areolis nigro-fumata, macula parva inter apicem cunei et areolam minorem hyalina; antennis articulo primo nigro, secundo nigro-fusco, tertia basali parte fulvo; pedibus fulvis; pronoto (♂) apice longitudine paullulum latiore. Long. ♂ $3\frac{1}{2}$ mm.

Insula Creta (Hag. Varvára!), D. Holtz (Mus. Vindob.).

Descr. Caput (♂) basi pronoti vix $\frac{1}{4}$ angustius, ab antico visum latitudine frontis oculique unici aequa longum, vertice oculo fere duplo latiore. Rostrum apicem coxarum intermediarum attingens, piceum, articulo primo medium xyphi prosterni subsuperante. Antennae (♂) articulo primo apicem clypei parum superante, secundo margine basali pronoti paullo longiore. Pronotum (♂) apice longitudine paullulum latiore, basi longitudine duplo latiore. Membrana venis fulvis. Xyphus prosterni convexus. Coxae anticae apicem mesosterni subattingentes. Tarsi articulo tertio secundo aequa longo, ungaviculis leviter curvatis, aroliis vix distinguendis.

